



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

n. 45.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

„ meæ, Matris Dei, cum omni alio quod ipsa scit, & desiderat vt faciam;  
 „ & spero quod nunquam mihi deerit, cum sit mater misericordiæ & pietatis,  
 „ & obtinebit vt viuam & moriar in Societate cum vera pœnitentia de o mni-  
 „ bus peccatis meis, cum Sacramentis etiam Confessionis, & Sacra- Vnctionis,  
 „ in fide & spe viuæ & vera æternæ salutis. Dominicis diebus, & ferijs  
 „ quartis, sicut alij, ientando, prandendo, cœnando, quando dabitur reliquis qui  
 „ domi sunt; In omnibus ieiunijs ab Ecclesia præceptis, Quadragesima, quatu-  
 „ or temporibus, Vigilijs Sanctorum, vt magis me conformem voluntati  
 „ Dei, & obedientiæ Superioribus debita, ieiunabo vt alij cundo bis ad Refecto-  
 „ rium ad prandium & collationem. Et quando ieiunat Ecclesia, ieiunabo vt  
 „ ieiunat Ecclesia nisi ratio aliqua singularis occurrat. Cùm ieiunan-  
 „ dum mihi erit in pane & aqua, comedam semel in die tantum; si inueniam  
 „ me debilem, aut alioqui sit necessarium, petam plus panis, iuxta licentiã quam  
 „ habuero & habeo à Patre Ministro. Et totum hoc quod hic scriptum  
 „ est, & quidquid aliud facere, aut proposuero facere, non aliter est, aut erit,  
 „ quam fuerit voluntas Dei, & prout Sancta Obedientia ordinauerit & manda-  
 „ uerit. Et memori mente habebō præ oculis infinitum quod debeo Deo,  
 „ Creatori, Redemptori, & Saluatori. O Anima mea, cæca, facta supra  
 „ omnes mundi scditates, fugitiua, adultera, ingrata, obliuiosa, indigna tam  
 „ bono Domino, Redemp- ore, Sponso amantissimo, qui tam benè mihi vo-  
 „ luit, & vult, & passus est pro me & non detrusit in Infernũ, neque puniuit vt  
 „ sum pluries meritis, & plusquam omnes animæ quæ ibi sunt. Propterea co-  
 „ nabor esse alter quàm hæctenus fui in omni perfectione & mortificatione, in  
 „ qua Sancti Societatis *Iesu* qui sunt in cœlo & qui hodie viuunt in vniuerso  
 „ mundo studuerunt excellere; ideoque denuo renouo id quod sæpius firmiter  
 „ proposui, mortificare me in omnibus meis sensibus. Et legam reco-  
 „ lamque ista sæpius vt hæreant memoriæ, & vt possim illa opere exequi iuxta  
 „ voluntatem Dei; obseruando obedientiam erga omnes meos Superiores &  
 „ Confessarios, omnibus diebus vitæ meæ, vbicunq; fuero, aut esse potero,  
 „ & Deus me duxerit ad gloriam suam, & salutem certam animæ meæ.  
 Amen.

XXXV. Modum verò orandi quem tenuit, iussus à Superiori-  
 „ bus anno huius seculi quadagesimo quinto, ipse descripsit his verbis. Quod  
 „ attinet ad particulares deuotiones, habeo multas singulis plerumque diebus,  
 „ ad tres, & aliquando ad plures horas, eo modo qui sequitur. Prima dirigitur  
 „ ad Sanctissimam Trinitatem. Secunda, ad Sanctissimum Sacramentum: Ter-  
 „ tia ad Sanctissimum Dominum *Iesum*: quarta ad Sanctissimam Mariam,  
 „ Matrem Dei, dominam meam & omnium quæ creata sunt, sponsam Sancti  
 „ Iosephi Patriarchæ: His perfungor in Oratorio imaginario à multis annis ere-  
 „ cto in corde meo; quo vtor de die & de nocte, vbicunq; locorũ sim, in mari,  
 „ & terra, in oppidis, & in desertissimis solitudinibus: aliquãdo cum maiori fer-  
 uore,

» more, deuotione, & facilitate: diuidendo Oratorium hoc in tres partes fuit  
 » tria altaria; in fronte est Sanctissima Trinitas, à sinistris Tabernaculum cum  
 » Sanctissimo Sacramento; & ultimo loco Sanctissima Virgo, cum Sancto  
 » Iosepho, & Domino meo *Iesu* in medio porrigente utriusque manus. Animâ  
 » meâ cum omnibus potentijs meis, Memoria, Intellectu, Voluntate, & quan-  
 » tus sum ego, prostratus in genua, facie & capite in terra, dico, *Benedicta sit*  
 » *& laudetur Sanctissima Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, &*  
 » *Sanctissimum Sacramentum, & Sanctissimum nomen Iesu, & Sanctissima*  
 » *Virgo Maria, Mater Dei, Domina mea, & omnium que creata sunt, sponsa*  
 » *Sancti Ioseph;* ore animæ meæ, & corporis huius peccatoris, & sensibus uni-  
 » uersis, osculando pedes singulorum, eo modo prostratus in utramque faci-  
 » em, sæpius repetendo *Iesu, Maria, Ioseph,* & in fine, *Gloria Patri, & Filio,*  
 » *& Spiritui Sancto, & Virgini Mariæ.* Quod à multis annis soleo secretò a-  
 » pud me dicere, in fine omnium Psalmorum in officio diuino & in sacro, &  
 » vbicumque dico *Gloria Patri,* Do etiam gloriam Virgini Mariæ, Matri meæ  
 » & Dominae. Alias deuotiones, quæ erant multæ, & digestæ per an-  
 » nos, mentes, & dies, & loca in quibus illis utebar, cum nominibus omnium  
 » Sanctorum quorum diebus erant affixæ, & causis propter quas illis utebar,  
 » combulli propria manu in pago omnium Sanctorum, de quo valde do-  
 » leo; ab illo tempore imperfectè vñus sum illis, & perseuero vti illis prout  
 » possum. Quantam verò cum his consuetudinem habuerit videre est in  
 » alio indice, in quo memorat Sanctum diem in quo natus, & eius in quo exiuit  
 » Angliam, quo portum tenuit Vianæ, quo soluit Pernambucum & quo intra-  
 » uit, eorum etiam quorum memoria agebatur diebus illis omnibus quibus  
 » nauigauit; & quo rursus relicto Pernambuco admissus est in Societatem &c.  
 » Et denique, inquit, omnes Sanctos in quorum diebus contigit me quo-  
 » quam proficisci rogo & per omnem vitam meam rogabo, donec anima ista  
 » mea à corpore euellatur, vt mei velint misereri, & pro me orare Dominum  
 » Deum nostrum. Idemque peto & petam ab omnibus Sanctis quorum  
 » habeo reliquias, aut imagines; & Sanctis etiam erga quos affectu peculiari  
 » feror, & qui mihi sorte contigerunt, vsque ad mensẽ præsentem anni 1651.  
 » Is erat tertius ante felicem eius ex hac vita transitum. Inter Sanctos autem  
 » quos studio singulari colebat, numerat *Thomam Cantuariensem, & Edmundum*  
 » *Campionum* cum omnibus in genere martyribus Magnæ Britannia; illos et-  
 » iam qui in India, & qui in Iaponia passi sunt, & *Magnum Iosephum de An-*  
 » *chieta;* qui licet omnes non sint eo titulo publicè ab Ecclesia cohonestati, eo-  
 » rum tamen intercessionem sibi vtilem fore existimabat cum priuatim inuo-  
 » carentur.

XXXXVI. Is verò qui tam multos susceperat impensè colendos  
 necesse erat vt & magna vteretur contentione animi, & temporis pluri-  
 mum impenderet precationi, vt mirum non sit narrari, in more quotidiano  
 illius fuisse secundâ post noctem mediam horâ surgere cum in Collegijs esset,